

burgere zu Lypezik vnd andere lüte eren wirdig. Gegeben nach gotes gebürte vbir drihundert iar in deme funfzigstem iare an deme nehesten donrestage nach sente Lucien der heiligen iunefrowen.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. Die Siegel fehlen.

No. 110. 1354. 25. Mai.

*B. Heinrich von Merseburg cignet eine Hufe zu Wenigen Kozerin, welche das Kloster von Johann von dem Hain erkaufft hat.*

In nomine domini amen. Cum hominum memoria sit labilis ipsosque fallat oblivio et in probationibus antiquorum praevaleant instrumenta, necesse igitur est ut ea quae aguntur instrumentorum testimonio perhennentur. Quapropter nos Heynricus dei gratia episcopus ecclesiae Mersburgensis omnibus hanc litteram inspecturis volumus esse notum, quod honorabiles et religiosi viri domini Nycolaus praepositus, Heynricus prior totusque conventus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lipzk pio moti affectu unum mansum situm in campis villae parvae Kozerin cum omnibus suis pertinentiis solventem singulis annis alteram dimidiam marcam cum tribus modiis tritici et tribus modiis siliginis Lipzensis mensurae in festo beati Egidii confessoris ab honesto et famoso viro Johanne dicto von dem Hayn nostro fideli in minore Schzochir residenti, consensu etiam suorum heredum videlicet Johannis Volmari et Theoderici filiorum eius nec non Karuli patruus eius concorditer ad hoc accedente, iusto emptionis et venditionis contractu hinc inde interveniente pro duodecim sexagenis grossorum usualium de quorundam Christi fidelium elemosinis collectis comparaverunt, quem quidem mansum cum omnibus suis iuribus fructibus et pertinentiis praefatus Johannes de Hayn una cum Johanne Volmaro et Theoderico heredibus suis necnon Karulo patruo suo pro se et suis posteris heredibus ad manus nostras unde ipsum mansum pheodaliter tenuit libere et voluntarie resignavit, omni iuri actioni impetitioni iuris vel facti sibi aut suis heredibus in dicto manso competentibus vel in posterum competituris renunciatis humiliter et devote nobis supplicando, quatenus mansum saepedictum ecclesiae sancti Thomae in Lipzk appropriare et incorporare dignaremur. Unde nos iustis eius precibus inclinati eandem ecclesiam ampliare cupientes et ob hoc expectare praemium retributionis aeternae saepe dictum mansum per resignationem Johannis de Hayn et suorum heredum spontaneam in manu nostra liberum tenentes ob laudem et reverentiam dei omnipotentis et beatae Mariae genitricis suae nec non sancti Thomae apostoli ibidem patroni ecclesiae sancti Thomae in Lipzk praenotatae de consensu et voluntate unanimitatis honorabilium virorum dominorum Heynrici praepositi, Bodonis decani totiusque nostrae ecclesiae Mersburgensis capituli dedimus appropriavimus et incorporavimus nec non in dei nomine donando appropriando appropriamus perpetue et pacifice habendum et possidendum vel quidquid pro salute animarum fidelium defunctorum praedictorum intra ecclesiam suam decreverint ordinandum vel disponendum quod etiam his scriptis praesentibus confirmamus. In quorum omnium